

tionem tantum, quia scilicet Deus aliquem effectum in nobis operatur: & quia operatio est communis tribus, ideo oportet quod etiam unio illa communis sit; quamvis secundum quod ille effectus appropriatur uni personae, vel alii, dicatur in mentem mitti Filius, vel Spiritus Sanctus. Sed in hac singulari unione Divinitatis ad humanitatem non tantum notatur ex parte Dei operatio, vel efficientia, sed etiam terminus, ut dictum est: & ideo non est simile.

ARTICULUS II.

Utrum magis fuerit conveniens Filium incarnari, vel Patrem, vel Spiritum Sanctum.

III. P. quest. 111. art. 8. & III. cont. Gent. cap. XLII.

1. AD secundum sic proceditur. Videtur quod non magis fuit conveniens Filium incarnari quam Patrem, vel Spiritum Sanctum. Sicut enim in mysterio Incarnationis monstrata est sapientia in decencia reconciliationis, ita etiam monstrata est potentia in hoc quod in infinitum distantia conjuncta sunt, & etiam bonitas in hoc quod non desuperit proprii plasmatis infirmitatem, sicut dicit Damascenus (Lib. III. de Fide orth. cap. 1.) sed sicut sapientia attribuitur Filio, ita bonitas Spiritui Sancto, & potentia Patri. Ergo non decebat magis Filium incarnari quam Patrem, vel Spiritum Sanctum.

2. Item. Victoria potentiae attribuitur. Sed per incarnationem secuta est de hoste victoria. Ergo incarnationem magis decebat Patrem, cui appropriatur potentia.

3. Item. Recreatio respondet creationi. Sed creatio appropriatur Patri: unde cum dicitur Gen. 1. *In principio creavit Deus caelum, & terram.* Deus creans exponitur Pater. Ergo & incarnatio, per quam recreatio facta est, Patri potissime conveniet.

4. Item. Incarnatio ordinata est ad hoc ut nos adoptionem filiorum reciperemus, ad Galat. 1v. Sed adoptare, proprium Patris est. Ergo Patrem decebat incarnari.

5. Item. Videtur quod magis congruum fuerit Spiritum Sanctum incarnari. Eorum enim quae magis vicina sunt, decencior est conjunctio. Sed Spiritus Sanctus est persona magis nobis vicina, ut dicit Augustinus. (a) Ergo Spiritum Sanctum magis decebat incarnari quam Filium.

6. Praeterea. Incarnatio processit ex maxima charitate Dei quam ad nos habuit. Sed charitas est proprie Spiritus Sanctus; vel etiam appropriate, si essentialiter sumatur. Ergo Spiritum Sanctum potissime decebat incarnari.

Sed contra. In mente nostra sunt tria tres personas representantia; scilicet mens, quae representat Patrem; notitia, quae est verbum mentis, representans Filium; & amor, qui representat Spiritum Sanctum. Sed inter haec tria verbum mentis maxime est corporale, secundum quod per vocem exterius sonat. Ergo & incarnatio convenientissime Verbum aeternum decuit, quod est ipse Filius Dei.

Item. Secundum Philosophum in II. Metaph. (text. com. 1v.) id quod est primum in unoquoque genere, est causa eorum quae sunt post. Sed filiaio primo in Filio Dei invenitur, sicut & paternitas in

(1) *Vulgata*: Ubi autem est humilitas, ibi & sapientia.

EX EDIT. P. NICOL. (a) Non occurrit expresse; sed colligitur ex eo quod Spiritum Sanctum posse dici Spiritum nostrum ait, ut Magister Sent. refert Lib. I. dist. xix. ex Lib. V. de Trin. cap. xiv.

Deo Patre, ex quo omnis paternitas in caelo, & in terra nominatur, Ephes. 111. Ergo convenientissime Filius Dei incarnatus est, ut per ipsum adoptionem filiorum Dei reciperemus.

Praeterea. Decentissima est conjunctio sapientiae, & humilitatis: unde Prov. xi. 2. (1) *Ubi humilitas, ibi sapientia.* Sed sapientia appropriatur Filio. Ergo ipsum maxime decuit humilitas incarnationis.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod decencia incarnationis Filii potest attendi & ex propriis, & ex appropriatis ejus. In propriis autem ipsius possunt considerari quatuor, scilicet quod Filius est, quod verbum est, quod imago, quod media in Trinitate persona. Secundum autem quod imago, convenientiam habet cum eo qui reparandus erat, scilicet cum homine, qui ad imaginem Dei factus est, Gen. 1. unde decuit ut imago imaginem assumeret, increata creatam. Secundum autem quod Filius est, convenit ad modum reparationis, quae expleta est per incarnationis, & passionis mysteria: secundum enim quod ex alio est, quod quidem sibi, & Spiritui Sancto commune est, notatur auctoritas Patris respectu ipsius: unde convenit sibi ad Patrem & deprecari, & satisfactio, & alia hujusmodi, quae in Patre auctoritatem demonstrant. Sed secundum quod in Filio intelligitur determinatus modus originis, convenit sibi nasci, ut qui in Divinitate est Dei Filius, in humanitate sit Virginis Filius, ut non sint plures filii in Trinitate. Convenit etiam sibi, in quantum Filius naturalis est, ut per eum cujus est naturalis hereditas, alii in filios adoptentur, & coheredes fiant. Sed in quantum verbum est, congruentiam habet ad officium praedicationis, & doctrinae; quia verbum manifestat dicentem, & ipse manifestavit Patrem. Joan. xvii. 6. *Pater, manifestavi nomen tuum hominibus.* In quantum vero est media in Trinitate persona, congruit ad ultimum effectum, qui est reconciliatio hominis ad Deum: decet enim ut qui est medius, etiam sit mediator. Inveniuntur etiam quatuor Filio appropriata: scilicet sapientia, & virtus ab Apostolo I. Corinth. 1. 24. *Christum Dei virtutem, & Dei sapientiam*: aequalitas ab Augustino; species & pulchritudo ab Hilario. In quantum autem sapientia est, congruit ad restorationem: quia decet ut quae in sapientia facta sunt, per sapientiam restaurentur: & etiam servituti a qua homo liberandus erat, qui in eam seductus quodammodo devenerat; & ideo decebat ut per sapientiam a seductore liberaretur. Ipse etiam homo peccavit per appetitum scientiae: unde per sapientiam liberandus erat. In quantum autem est virtus, & brachium Patris, congruit ad victoriam de hoste capiendam. Luc. 1. 51. *Fecit potentiam in brachio suo.* In quantum vero est aequalitas, congruit etiam morbo qui sanandus erat: uterque enim, scilicet homo, & diabolus, peccaverat, appetendo aequalitatem; ille potentiae, iste scientiae. In quantum vero species & pulchritudo est, congruit reparationi, ut per ipsum deturpato imaginis per peccatum inducta amoveatur. Patri vero non convenit incarnatio, praecipue propter proprietatem innascibilitatis: non enim decet ut qui in Deitate est Pater, in humanitate sit Filius: sic enim Filius

lius Dei Patris esset nepos Virginis, si ipsa Virgo mater esset Dei Patris. Similiter etiam nec Spiritui Sancto convenit, ne Filii nomen in plures personas transferatur.

Ad primum ergo dicendum, quod in incarnatione ostenduntur sapientia, potentia, & bonitas; & ideo efficientia incarnationis toti Trinitati attribuitur: sed tamen opus quod Deo incarnato debebatur, per Filium expleri decuit, rationibus dictis in corpore hujus articuli: & ideo tota Trinitas carnem solo Filio univit.

Ad secundum dicendum, quod potentis non est ut per potentiam minus potentem vincat: hoc enim videtur violentum, & non laudabile: sed per justitiam, & sapientiam: & ideo per Filium debuit Pater hostem vincere. Vel dicendum, quod quamvis potentia attribuitur Patri, eo quod ipse est principium totius Deitatis, tamen Filius etiam dicitur virtus Patris, per quam in creatura operatur: unde & brachium Patris dicitur, ut exponit Gregorius illud Job. xl. *Si habes brachium sicut Deus* (Lib. XXXII. Mor. cap. v. vel vi.) & ideo decenter per Filium Deus Pater diabolum vicit.

Ad tertium dicendum, quod tria opera tribus personis appropriantur: creatio, quasi prima, Patri, qui est principium, non de principio: glorificatio, quae est ultimus finis, Spiritui Sancto ratione bonitatis: recreatio, quae media est, Filio, qui est media in Trinitate persona.

Ad quartum dicendum, quod quamvis Patris sit adoptare; tamen decenter nos per Filium adoptavit, cujus est hereditas; ut sic per verum heredem ipsa adoptatio acceptaretur, & firma ostenderetur: & ut filii adoptivi haberent verum Filium ducem, quem imitarentur illi quos praescivit conformes fieri imaginis Filii sui, ut ipse sit primogenitus in multis fratribus: Rom. viii.

Ad quintum dicendum, quod Spiritus Sanctus dicitur persona maxime vicina nobis propter charitatem, per quam nobis omnia dona donantur; sed Filius est magis nobis vicinus quantum ad congruentiam incarnationis, rationibus dictis.

Ad sextum dicendum, quod charitas Dei est causa incarnationis: & ideo causalitas incarnationis, quamvis sit communis tribus personis, appropriatur tamen Spiritui Sancto, ut infra dicitur dist. 1v. non tamen ex hoc sequitur quod Spiritus Sanctus debuerit incarnari.

ARTICULUS III.

Utrum Pater potuit carnem assumere, & etiam Spiritus Sanctus.

III. P. quest. 111. art. 5.

1. AD tertium sic proceditur. Videtur quod Pater carnem assumere non potuerit. Quia, ut dicit Anselmus (Lib. de incarnat. Verbi cap. 1v.) minimum inconveniens est Deo impossibile. Sed si Pater carnem assumeret, sequeretur inconveniens, ut scilicet essent in Trinitate plures Filii, quod (1) in confusionem quamdam vergeret personarum. Ergo Pater carnem assumere non potuit.

2. Item. Opposita non possunt jungi in eodem, etiam per miraculum. Sed in Patre est quaedam pro-

(1) *Al.* in conclusionem.

EX EDIT. P. NICOL. (a) Lib. II. de incarnatione, sive cur Deus homo, cap. xvii.

prietas, quae dicitur innascibilitas, secundum quam dicitur non esse ex alio, cui nascibilitas opponitur. Ergo non potuit Pater de Virgine nasci; quod diceretur, si carnem assumeret.

3. Item. Ut in littera dicitur, Filii missio est ipsa incarnatio. Sed Patri non convenit mitti, ut in primo Libro habitum est. Ergo nec incarnari potest.

4. Item. Ab eo qui est infinita misericordiae, semper optima expectanda sunt quae contingere possunt. Sed cum totus mundus per incarnationem unius personae melioratus sit, si etiam Pater incarnaretur, multo amplius meliorabitur. Ergo si possibile est Patrem incarnari, hoc expectandum est, sicut & antiqui Patres incarnationem Filii expectaverunt; quod est omnino absurdum.

Praeterea. Non est major Dei potentia quam sua voluntas, cum utrumque sit infinitum. Sed Pater nunquam voluit incarnari. Ergo nec incarnari potest.

Sed contra. Sicut dicit Anselmus, (a) omnis necessitas, & impossibilitas Deo est subjecta. Sed ei nihil est impossibile, cujus voluntate omnis impossibilitas subditur. Ergo Patrem incarnari non est impossibile.

Item. Eorum quae aequae distant, aequae possibilis est conjunctio. Sed humana natura aequaliter distat a tribus personis: distat enim a qualibet in infinitum. Ergo si potuit eam Filius assumere, potest & Pater.

Praeterea. Quidquid dignitatis convenit Filio, convenit & Patri. Sed posse assumere carnem est dignitatis in Filio. Ergo & Patri attribuendum est.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod cum in agentibus ex libertate voluntatis executio potentiae sequatur imperium voluntatis, & ordinem rationis, considerandum est, quando potentiae divinae aliquid ascribitur, utrum attribuat potestati secundum se consideratae: tunc enim dicitur posse illud de potentia absoluta: vel attribuat sibi in ordine ad sapientiam, & praescientiam, & voluntatem ejus: tunc enim dicitur posse illud de potentia ordinaria. Ipsi ergo potentiae absolutae, cum infinita sit, necesse est attribui omne id quod in se est aliquid, & quod in defectu potentiae non vergit. Dico autem in se aliquid esse: quia conjunctio affirmationis, & negationis nihil est, nec aliquem intellectum generat quod dicitur homo & non homo simul acceptum, quasi in vi unius dictionis: & ideo potentia Dei ad hoc se non extendit, ut affirmatio, & negatio sint simul: & eadem ratio est de omnibus quae contradictionem includunt. Dico autem in defectu potentiae vergere quae passionem potentiae important: ex defectu enim potentiae activae ad resistendum contingit quod aliquid vel corrumpatur, vel dividatur, vel aliquid hujusmodi: unde & mollities impotentia naturalis dicitur propter facilem divisibilitatem: & ideo non dicimus Deum in natura Divinitatis posse pati, vel mori, vel aliquid hujusmodi; sicut non dicimus eum posse esse impotentem. Huic autem potentiae absolute consideratae quando attribuitur aliquid quod vult facere, & sapientia sua habet ut faciat, tunc dicitur posse illud secundum potentiam ordinariam; quando autem potentia se extendit quantum

tum in se est ad illud quod sibi attribuitur, quamvis non habeat ejus sapientia, & voluntas ut ita fiat, tunc dicitur posse illud de potentia absoluta tantum. Sed in his distinguendum est: quia in his sunt quaedam quae habent aliquid in se divinae sapientiae, & bonitati repugnans inseparabiliter conjunctum, ut peccare, mentiri, & hujusmodi; & etiam ista dicitur Deum non posse: quaedam vero sunt quae de se non habent inconvenientiam ad divinam sapientiam, sed solum (2) ad ordinem aliquem suae praesentiae, quem Deus in rebus statuit, vel praevit, secundum suam voluntatem, ut quod caput hominis sit inferius; & haec Deus potest facere, quia potest statuere alium ordinem in rebus secundum quem sit conveniens quod nunc secundum istum ordinem qui rebus inest inconveniens videtur. Sic ergo in his quae divinae potentiae attribui possunt, est quadruplex distinctio, sive ordo. Quaedam enim nec ipsi potentiae absolute attribuntur: unde simpliciter dicendum est, Deum ea non posse, sicut pari, contradictoria simul esse. Quaedam vero ex se sapientiae, & bonitati ejus repugnant; & ista non dicitur Deum posse nisi sub conditione, scilicet si vellet: non enim inconveniens est ut in conditionali vera antecedens sit impossibile. Quaedam vero de se repugnantiam non habent, sed solum ab exteriori; & talia absolute concedendum est Deum posse de potentia absoluta; nec sunt neganda nisi sub conditione, scilicet ut dicatur: Non potest, si voluntati ejus repugnat. Quaedam vero sunt quae attribuntur potentiae, ita quod voluntati, & sapientiae ejus congruunt; & haec simpliciter dicendum est Deum posse, & nullo modo ea non posse. Dicendum est ergo, quod Patrem incarnari, non est de illis quae potentiae Dei absolute non subduntur; cum neque contradictionem implicet, neque defectum aliquem incarnationi in persona incarnata ponat: est enim eadem dignitas Patris, & Filii, & ratio eadem personalitatis in utroque: nec est etiam de illis quae ex se inconvenientiam habent: sed est de illis quae habent inconvenientiam propter ordinem alium a Dei sapientia institutum. Sed Filium incarnari est in quarto ordine. Et ideo simpliciter concedendum est quod Pater potuit carnem assumere, & similiter Spiritus Sanctus, loquendo de potentia absoluta.

Ad primum ergo dicendum, quod hoc est impossibile, ut aliquid faciat Deus, & hoc sit inconveniens; sed tamen potest facere ut illud quod modo est inconveniens secundum unum ordinem, secundum alium ordinem fiat conveniens; sicut potest carnem hoc modo formando assumere, sicut corpus viri de terra formavit: sic enim Filii nomen Patri non conveniret: nec etiam si Pater Filium diceretur, esset de se repugnantiam habens, cum secundum diversas naturas haec sibi attribuerentur.

Ad secundum dicendum, quod secundum idem non possunt opposita eidem inesse; sed secundum diversa nihil prohibet. Unde quamvis Patri conveniat innascibilitas secundum naturam divinam, posset tamen eidem inesse nativitas secundum naturam humanam; sicut Filio secundum naturam divinam inest quod sit pater Virginis, cujus secundum naturam humanam est filius.

Ad tertium dicendum, quod incarnatio Filii dicitur missio, quia Filius ab alio est. Si autem Pater incarnaretur, ejus incarnatio missio dici non posset: sicut ostensio Spiritus Sancti in columba, mis-

(2) *Al.* de ordine aliquo.

sio visibilis ipsius dicitur; non autem ostensio Patris in sono vocis.

Ad quartum dicendum, quod tres personae non sunt majoris bonitatis quam una tantum: & ideo nihil plus universo accresceret per incarnationem omnium personarum, quam de incarnatione unius tantum: unde fuisset superfluum: & ideo quamvis sit possibile Patrem incarnari, non tamen est expectandum.

Ad quintum dicendum, quod potentia Dei non est major quantum ad essentiam quam voluntas; tamen ad plura objecta se extendit potentia quam voluntas: unde non sequitur, si aliquid Deus non vult, quod illud absoluta potentia non possit.

ARTICULUS IV.

Utrum Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus possint eandem numero naturam assumere.

III. P. quest. 111. art. 6.

I. AD quartum sic proceditur. Videtur quod Pater, & Spiritus Sanctus non possunt unam & eandem numero naturam assumere. Primo per hoc quod dicit Anselmus in Lib. de incarnatione Verbi (cap. ix.) quod plures personae non possunt assumere unum eundemque hominem. Sed si unam naturam assumerent, unus homo assumptus esset a pluribus personis. Ergo primum est impossibile.

2. Item. Assumptio humanae naturae terminatur ad aliquam unionem. Non autem ad unionem in natura: quia oporteret vel alteram tantum remanere, sicut pater in conjunctione cibi ad cibatum; vel etiam neutrum, ut pater in conjunctione elementorum. In incarnatione vero utraque natura manet, ut Damascenus dicit (Lib. III. de Fide orth. cap. vii.) & sic patet quod non potest esse unio in natura. Ergo oportet quod terminetur ad unionem in persona. Non ergo possunt esse plures personae unam naturam assumptas.

3. Praeterea. Ut Damascenus dicit (ubi supra) in incarnatione uniens, & unum communicant sibi sua idiomatica, ut quidquid dicitur de Filio hominis, possit dici de Filio Dei. Ergo si eadem natura humana a tribus personis assumpta esset, demonstrato illo homine, possemus eum dicere Filium Dei, & quidquid de Filio Dei dicitur; & e converso Filium Dei esse hunc hominem, & natum de Virgine, & hujusmodi omnia. Sed stante eadem positione, possemus dicere quod hic homo esset Pater. Ergo esse Patrem, & quidquid est Patris, posset predicari de Filio Dei; quod manifeste confusionem induceret personarum.

4. Praeterea. Tres personae distinguuntur relationibus. Ergo quod attribuitur alicui personae primo & per se ratione ejus quod ad alterum est, nullo modo tribus personis potest esse commune. Sed humanam naturam assumere convenit Filio secundum id quod ad alterum est: quia primo & per se convenit personae, naturae autem prout est in persona. Ergo assumere hanc naturam non potest esse commune tribus personis.

5. Praeterea. Ut in I. Lib. dictum est (dist. viii. quest. 1. art. 1.) omnis quidditas, vel natura quae non est suum esse, dividitur secundum divisionem sup-

suppositorum in ea subsistentium, quia esse habet secundum quod in supposito est. Sed humana natura est quidditas, vel natura quae non est suum esse: hoc enim solius Dei (1) est. Ergo oportet quod dividatur secundum esse ad divisionem suppositorum in ea subsistentium. Sed si tres assumerent humanam naturam, essent tria supposita in humana natura subsistentia. Ergo essent tres humanae naturae: non ergo una numero humana natura a tribus personis assumi potest.

6. Praeterea. Si tres personae unam naturam humanam assumerent, aut essent unus homo, aut plures. Sed non plures, quia non haberent nisi unam animam, & unum corpus. Ergo esset unus homo, & posset demonstrari: Iste homo est Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus. Sed ille homo non potest supponere nisi personam Patris, vel Filii, vel Spiritus Sancti. Ergo persona Patris esset Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, vel persona Filii, vel persona Spiritus Sancti; quod est impossibile. Ergo impossibile est talem assumptionem esse.

Sed contra. Humanae naturae convenit esse assumptibile secundum quod est ad imaginem Dei. Sed eadem numero humana natura est ad imaginem trium personarum. Ergo humana natura eadem numero a tribus assumi potest.

Praeterea. Major est distantia diversarum potentiarum animae ad invicem (quae etiam in absolutis distinguuntur) quam divinarum personarum quae distinguuntur solum in eo quod ad aliud est. Sed anima unius eidem membro secundum diversas potentias: quod pater, quia organa aliorum sensuum sunt etiam organa tactus, qui per totum corpus diffunditur. Ergo & Deus potest uniri homini, ita quod tres personae unam naturam humanam assumant.

Praeterea. Eorum quae magis conveniunt, facilius est unio. Sed humana natura assumpta a Filio non minus convenit cum Patre, sed etiam magis quam aliqua alia. Ergo si Pater potuit assumere aliam humanam naturam, ut dictum est (quest. 1. art. 2.) multo magis eandem.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod tres personas divinas assumere unam humanam naturam in unitate unius personae, est impossibile; quia contradictionem implicat. Cum enim unio Dei, & hominis non possit fieri in natura, ut infra dist. v. probabitur, oportet quod fiat in persona, ut scilicet sit eadem personalitas assumptas, & assumpti: unde ponere unam personam ex parte assumpti, & tres ex parte assumptas est impossibile. Et non potest etiam similiter esse una unitate unius hypostasis, vel suppositi, ad minus quantum ad secundam opinionem, quae ponitur infra dist. vi. quae ponit unionem non tantum in persona, sed etiam in supposito, & hypostasi. Sed quod natura assumpta a tribus personis sit una unitate singularis naturae, non est impossibile, loquendo de potentia absoluta; quamvis non sit congruum secundum ordinem divinae sapientiae: cum unius personae incarnatio ad reparationem mille mundorum sufficiat. Dico autem unitatem singularis naturae, si assumeretur unum corpus, & una anima sibi unita, ex quorum unione

una humanitas resultaret, ut sic tres personae in una natura assumpta convenirent, sicut conveniunt in natura aeterna.

Quidam vero e converso contrariam opinionem tenent; & secundum utramque potest ad objecta responderi.

Ad primum ergo dicendum, quod Anselmus ibi accipit unum hominem, unam personam humanam, hoc enim est (2) impossibile ei quod ponitur, tres personas assumptas esse.

Ad secundum dicendum, quod assumptio illa terminaretur ad aliquid unum in persona, non ita quod uni tantum personae uniretur, sed quia a qualibet trium personarum assumeretur in unitatem personae, ut non esset alia persona hominis assumpti a tribus personis Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, quasi homo per se in quantum homo sit persona; esset tamen alia persona Patris, alia Filii, alia Spiritus Sancti, humanitatem eandem assumptam.

Ad tertium dicendum, quod communicatio idiomatica intelligitur respectu alterius naturae: unde praedicta positio facta, hic homo non communicaret Filio idiomatica Patris, sed solum idiomatica humanae naturae.

Ad quartum dicendum, quod, sicut supra in primo Libro dictum est, in divinis duplex est communitas: rei, & rationis. Communitate rei nihil est commune nisi absolutum; sed communitate rationis est commune hoc nomen *persona*, vel *relatio*: & ita per hunc modum communitatis potest communiter convenire Patri, & Filio, & Spiritui Sancto ut unusquisque eorum trahat humanam naturam eandem numero in unitatem personae suae.

Ad quintum dicendum, quod tres personae non distinguuntur secundum esse; immo earum est unum esse, vivere, & intelligere; cum esse non nisi ad essentiam pertineat: & ideo non oporteret quod natura humana a tribus personis assumpta secundum esse multiplicaretur, sicut multiplicatur in tribus personis humanis, quarum non est unum esse.

Ad sextum dicendum, quod cum termini substantivi significantur, vel consignantur pluraliter ex unitate, seu pluralitate formae signate, dicentur tres unus homo, si unam humanam naturam assumpsissent, sicut propter unam naturam divinam dicuntur unus Deus: & sicut dicitur tota Trinitas unus solus verus Deus, secundum Augustinum (super Joan. tract. xxxix.) & Baruch, III. 36. (3) *Hic est Deus, & non estimabitur alius ab illo*: ita posset dici: Iste solus homo est Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus: & tunc iste terminus *homo* supponeret rem humanam naturae sine distinctione trium personarum, sicut iste terminus *Deus* supponit in praedictis locutionibus rem naturae divinae indistinctae: & haec est suppositio sua naturalis, & quasi termini communis respectu trium personarum; suppositio autem qua supponit pro Patre, vel Filio, est sibi accidentaliter, & quasi termini discreti.

Ad ea quae in oppositum obijciuntur, secundum alios potest responderi, quod ad unitatem naturae sequeretur aliquo modo unitas suppositi secundum eos: & hoc esse non potest; ut dictum est in corpore hujus articuli.

(1) *Al.* natura est. (2) *Al.* impossibile. (3) *Vulgata: Hic est Deus noster, & non estimabitur alius adversus eum.*